

## DIALOGI

autem ille magnus haec, ut opinor, Aristotelia se ignorare respondit. quod quidem minime sum admiratus, eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis praeter admodum paucos ignoretur; quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae et inventae sunt, adlici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia tum etiam suavitate.

Cic. *Fin.* 5. 5. 12. . . . de summo bono, quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικόν appellabant, alterum limatius quod in commentariis reliquerunt, non semper idem dicere videntur.<sup>1</sup>

Cic. *Lucullus* 38. 119 (Plasberg): v. p. 89 *infra*.

Cic. *Fam.* 1. 9. 23. Scripsi igitur Aristotelio more, quem ad modum quidem volui, tris libros in disputatione ac dialogo 'De oratore'.

Cic. *Att.* 4. 16. 2. Sed nosti genus dialogorum meorum. . . . hanc ego de re publica quam institui disputationem in Africani personam et Phili et Laeli et Manlii contuli. . . . itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prohoemiis ut Aristoteles in iis quos ἐξωτερικούς vocat, aliquid efficere ut non sine causa istum appellarem; id quod intellego tibi placere. utinam modo conata efficere possim!

Ibid. 13. 19. 3-4. Si Cottam et Varronem fecisset inter se disputantes, ut a te proximis litteris admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον esset; hoc in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis et nos in VI De re publica libris fecimus. sunt etiam De oratore nostri tres, mihi vehementer